

dos excitaret vindices, qui cum Republica verum simul DEI cultum restaurabant, ut indicatur eodem cap. v. 16: *tamen neque illos audiebant, sed scortabantur* (spiritualiter) *sequentes Deos alienos*, juxta vers. 17, indeque speciatim tempore Gideonis Israëlitarum omnes idololatriæ scortati esse dicuntur occasione amiculi à Gideone in urbe Ophra positi cap. VIII, 27 quin & toti *Judicum libro* conclusionis loco miserum, hoc epiphonema additur: *Temporibus illis -- quisque, quod rectum videbatur in oculis suis, faciebat!* Confer, quæ de misero hoc statu refert *Psalmista Ps. CVI, 34. seq.* Equidem a fidissimo DEI Propheta *Samuele*, quem exinde merito celebrat *Syrach. cap. XLVI, 16. seq.* còres redigebatur, ut *amoverent filii Israël Banim & Astharoth* sive idola hactenus culta, & *colerent Jehovaham solum*, juxta claram literam *capitis VII. 1. Sam. v. 3*, quæ veritatis cœlestis lux sub primis quoque Regibus perduravit; Verum tenebræ proh dolor! ingentes secutæ sunt, cum *Salomon*, ut edocemur *1. Reg. XI, 1. seq.*, miserum præbens conjugii cum uxoribus falsæ religioni addictis exemplum, Diis alienis peregrinarum mulierum gratia, ut his exercitium concederet Religionis suæ, *edificaret excelsa, feminis inclinantibus animum ejus post DEOS alienos*, si non eos una adorando, ad minimum tamen cultum eorum in terra Israëlita concedendo, unde sacer textus *v. 6. l. c.* ait: *neque plene sequebatur Jehovaham* (Salomo) *sicut David Pater ejus.* Deus enim omnem cum idololatriæ in terra promissa familiaritatem populo suo prohibuerat, tum ratione fœderum *Exod. XXXIV, 12. 15*, tum ratione conubiorum *v. 16*; ac proinde inobedientiam *Salomonis* dilaceratione regni graviter est ultus? Quid itaque aliud sequentibus temporibus expectari poterat à populo ad idololatriam prono, quàm horribilis ad malitiam istam lapsus veræque religionis contemptus, omnibus merito imperantibus ante oculos sistendus, ut quàm fieri potest maximè, falsarum religionum introductionem evitent. Sanè non solum maxima Israëlita pars, X. scil. tribus, qui a domo Davidis deficientes *Jéroboamum* Regem constituebant, vitulis aureis à Rege suo positis unà cum ipso sacrificia offerebant, vid. *1. Reg. XII, v. 28. seq.*, neque unquam à malo semel incepto desistebant;